

7 Tabitudo enim & mors imminent in mandatis ejus.

8 Memorare timorem Dei, & non irascaris proximo.

9 Memorare testamentum Altissimi, & despice ignorantiam proximi.

10 Abstine te a lite, & minues peccata:

11 Homo enim iracundus incendit litem, & vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.

12 Secundum enim ligna sylvæ sic ignis exardebit: & secundum virtutem hominis, sic iracundia illius erit, & secundum substantiam suam exaltabit iram suam.

13 Certamen festinatum incendit ignem: & lis festinans effundit sanguinem: & lingua testificans adducit mortem.

14 Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit: & si expueris super illam, extinguetur: utraque ex ore proficiscuntur.

15 Sufuro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.

16 Lingua tertia multos commovit, & dispersit illos de gente in gentem.

17 Civitates muratas divitum destruxit, & domos magnatorum effodit.

18 Virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissolvit.

19 Lingua tertia mulieres viratas ejecit, & privavit illas laboribus suis.

20 Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat.

21 Elagelli plaga livorem facit: plaga autem linguæ comminet ossa.

22 Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.

23 Beatus, qui tectus est a lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit, & qui non attraxit jugum illius, & in vinculis ejus non est ligatus:

24 Jugum enim illius, jugum ferreum est: & vinculum illius, vinculum æreum est.

25 Mors

25 Mors illius, mors nequissima: & utilis potius infernus quam illa.

26 Perseverantia illius non permanebit, sed obtinebit vias injustorum: & in flamma sua non comburet iustos.

27 Qui relinquunt Deum, incident in illam, & exardebit in illis, & non extinguetur, & immitetur in illos quasi leo, & quasi pardus lædet illos.

28 Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ossia, & feras.

29 Aurum tuum & argentum tuum confila, & verbis tuis facito stateram, & frenos ori tuo rectos:

30 Et attende, ne forte labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanibilis in mortem.

CAPUT XXIX.

Per mutuum subveniendum proximo, fidesque mutuanti servanda: & quanquam multi fidem fallant, non tamen ob id cessandum ab elemosyna, cujus laudes describit: fidejussori gratia habenda est; fidesque servanda: in quibus consistat initium vite hominis differit, & de vagis & ingratis hospitibus.

1 **Q**ui facit misericordiam, fœneratur proximo suo: & qui prævalet manu, mandata servat.

2 Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius, & iterum redde proximo in tempore suo.

3 Confirma verbum, & fideliter age cum illo: & in omni tempore invenies, quod tibi necessarium est.

4 Multi quasi inventionem æstimaverunt fœnus, & præstiterunt molestiam his, qui se adjuverunt.

5 Donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam:

6 Et in tempore redditionis postulabit tempus, & loquetur verba rædii & murmurationum, & tempus causabitur:

7 Si autem potuerit reddere, adversabitur, solidi vix reddet dimidium, & computabit quasi inventionem:

8 Sin autem, fraudabit illum pecunia sua, & possidebit illum inimicum gratis:

9 Et convitia & maledicta reddet illi, & pro honore & beneficio reddet illi contumeliam.

10 Multi non causa nequitiae non foenerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt.

11 Verumtamen super humilem animo fortior esto, & pro eleemofyna non trahas illum.

12 Propter mandatum assume pauperem: & propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum.

13 Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum: & non abscondas illam sub lapide in perditionem,

14 Pone thesaurum tuum in praecipis Altissimi, & proderit tibi magis quam aurum.

15 * Conclude eleemofynam in corde pauperis, & haec pro te exorabit ab omni malo.

16 17 18 Super scutum potentis, & super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit.

19 Vir bonus fidem facit pro proximo suo: & qui perdidit confusionem, derelinquet sibi.

20 Gratiam fidejussoris ne obliviscaris: dedit enim pro te animam suam.

21 Repromissorem fugit peccator & immundus.

22 Bona repromissoris sibi ascribit peccator: & ingratus sensu derelinquet liberantem se.

23 Vir repromittit de proximo suo: & cum perdidit reverentiam, derelinquetur ab eo.

24 Repromissio nequissima multos perdidit dirigentes, & commovit illos quasi fluctus maris.

25 Viros potentes gyrans migrare fecit, & vagati sunt in gentibus alienis.

26 Peccator transgrediens mandatum Domini, incidet in promissionem nequam: & qui conatur multa agere, incidet in iudicium.

27 Recupera proximum secundum virtutem tuam, & attende tibi, ne incidas.

28 * Initium vitae hominis aqua & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem.

29 Melior est victus pauperis sub tegmine aforum, quam epulae splendidae in peregre sine domicilio.

30 Minimum pro magno placeat tibi, & improprium peregrinationis non audies.

31 Vita nequam hospitandi de domo in domum & ubi hospitabitur, non fiducialiter aget, nec aperiet os.

32 Hospitabitur, & pascet, & potabit ingratos, & ad haec amara audiet.

33 Transi hospes, & orna mensam: & quae in manu habes, ciba caeteros.

34 Exi a facie honoris amicorum meorum: necessitudine domus meae hospitio mihi factus est frater.

35 Gravia haec homini habenti sensum: Correctio domus, & improprium foeneratoris.

CAPUT XXX.

Filii in disciplina educandi, & quam sit perniciosum illis indulgere; corporis sanitas praestat divitiis. & quam sit noxia & fugienda tristitia, cordis vero jucunditas quam sit utilis.

1 Qui diligit filium suum, assiduatur illi flagella, ut laetetur in novissimo suo, & non palpet proximorum ostia.

2 Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur.

3 Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo.

4 Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se.

5 In vita sua vidit, & laetatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis.

6 Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.

7 Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua, & super omnem vocem turbabuntur viscera ejus.

8 Equus indomitus evadit durus, & filius remissus evadet praecipis.

9 Lacta filium, & paventem te faciet: lude cum eo, & contristabit te.

10 Non cortideas illi, ne doleas, & in novissimo obstupescant dentes tui.

11 Non des illi potestatem in juventute, & ne despicias cogitatus illius.

* Tob. 4.
10. Supra.
17. 18.

* Infra.
20. 51.

* Prov.
13. 24.
13. 23. 13.
* 1. cas.
6. 7.

* *Supra.*
7. 25.

12 * *Curva* cervicem ejus in juventute, & funde latera ejus, dum infans est, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.

13 Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.

14 Melior est pauper sanus, & fortis viribus, quam dives imbecillis, & flagellatus malitia.

15 Salus animæ in sanctitate justitiæ melior est omni auro & argento: & corpus validum quam census immensus.

16 Non est census super censum salutis corporis: & non est oblectamentum super cordis gaudium.

17 Melior est mors quam vita amara: & requies æterna quam languor perseverans.

18 Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulchro.

* *Dein.*
14. 6.

19 * Quid proderit libatio idolo? nec enim manducabit, nec odorabit;

20 Sic qui effugatur a Domino, portans mercedes iniquitatis:

21 Videns oculus, & ingemiscens, sicut spado complectens virginem, & suspirans.

* *Prov.* 12.
25. & 15.
13. & 17.
22.

22 * Tristitiam non des animæ tuæ, & non affligas te ipsum in consilio tuo.

23 Jucunditas cordis hæc est vita hominis, & thesaurus sine defensione sanctitatis: & exultatio viri est longævitas.

24 Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine: congrega cor tuum in sanctitate ejus, & tristitiam longe repelle a te.

* *1. Cor.*
7. 10.

25 * Multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in illa.

26 Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus.

27 Splendidum cor, & bonum in epulis est: epulæ enim illius diligenter fiunt.

CAPUT XXXI.

Vigilia honestatis; cogitatus præscientiæ; labor divitis & pauperis; diligens aurum; multi casus in auro; laus divitis sine macula; modestia in mensa servanda; laus sobrietatis, & vituperatio gula

gula; laus usus modici vini; & vituperatio immodici.

1 *Vigilia* honestatis tabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet somnum.

2 Cogitatus præscientiæ avertit sensum, & infirmitas gravis sobriam facit animam.

3 Laboravit dives in congregatione substantiæ, & in requie sua replebitur bonis suis.

4 Laboravit pauper in diminutione victus, & in fine inops fit.

5 Qui aurum diligit, non justificabitur: & qui insequitur consumptionem, replebitur ex ea.

6 * Multi dati sunt in auro casus, & facta est in specie ipsius perditio illorum. * *Supra.*
3. 3.

7 Lignum offensionis est aurum sacrificantium: vix illis, qui sectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo.

8 Beatus dives, qui inventus est sine macula: & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, & thesauris.

9 Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.

10 Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit:

11 Ideo stabilita sunt bona illius in Domino, & elemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.

12 *Supra* mensam magnam sedisti? non aperias super illam faucem tuam prior.

13 Non dicas sic: Multa sunt, quæ super illam sunt:

14 Memento, quoniam malus est oculus nequam.

15 Nequius oculo quid creatum est? ideo ab omni facie sua lacrymabitur, cum viderit,

16 Ne extendas manum tuam prior, & invidia contaminatus erubescas.

17 Ne comprimaris in convivio.

18 Intellige, quæ sunt proximi tui ex teipso:

19 Utere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur; ne, cum manducas multum, odio habearis.

20 Cessa prior causa disciplinæ: & noli nimis esse, ne forte offendas.

21 Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior potas bibere.

22 Quam sufficiens est homini erudito vinum ex guum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties dolorem.

23 Vigilia, cholera, & tortura viro infrunito:

24 Somnus sanitatis in homine parco. Dormiet usque mane, & anima illius cum ipso delectabitur.

25 Et si coactus fueris in edendo multum, surge e medio, evome: & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem.

26 Audi me filii, & ne spernas me: & in novissimo invenies verba mea.

27 In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.

28 Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & testimonium veritatis illius fidele.

29 Nequissimo in pane murmurabit civitas, & testimonium nequitiae illius verum est.

** Juth.*
30 Diligentes in vino noli provocare: * multos enim exterminavit vinum.

31 Ignis probat ferrum durum: sic vinum corda superbiorum arguet in ebrietate potatum.

32 Aqua vita hominibus vinum in sobrietate: si bibas illud moderate, eris sobrius.

33 Que vita est ei, qui minuitur vino?

34 Quid defraudat vitam? Mors.

** Psa. n.*
35 * Vinum in jucunditatem creatum est, & non in ebrietatem, ab initio.

36 Exultatio animæ & cordis vinum moderate potatum.

37 Sanitas est animæ & corpori, sobrius potus.

38 Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit.

** Prov.*
39 Amaritudo animæ vinum multum potatum.

40 Ebrie.

40 Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera.

41 In convivio vini non arguas proximum: & non despicias eum in jucunditate illius:

42 Verba improprietatis non dicas illi: & non premas illum in repetendo.

CAPUT XXXII.

Officium boni rectoris: major natu loquatur; tacendum ubi non est qui audiat; jucunditas musicæ in convivio; adolescenti tacendum; laus taciturnitatis; discutienda propria domus; laus timoris Domini; peccator vitat correptionem; absque consilio nihil agendum.

1 **R**ectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis.

2 Curam illorum habe, & sic confide, & omni cura tua explicita recumbe:

3 Ut læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationem consequaris corrogationis.

4 Loquere major natu: decet enim te.

5 Primum verbum, diligenti scientia, & non impediās musicam.

6 Ubi auditus non est, non effundas sermonem, & importune noli extolli in sapientia tua.

7 Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio musicorum in convivio vini.

8 Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus musicorum in jucundo & moderato vino.

9 Audi tacens, & pro reverentia accedet tibi bona gratia.

10 Adolescens loquere in tua causa vix.

11 Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.

12 In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens.

13 In medio magnatorum non præsumas: & ubi sunt fenes, non multum loquaris.

14 Ante grandinem præbit coruscatio: & ante

verecundiam præbit gratia, & pro reverentia accedet tibi bona gratia.

15 Et hora surgendi non te trices: præcurre autem prior in domum tuam, & illic avocare, & illic lude,

16 Et age conceptiones tuas, & non in delictis & verbo superbo.

17 Et super his omnibus benedicito Dominum qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis suis:

18 Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus: & qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem.

19 Qui quærit legem, replebitur ab ea: & qui infidiose agit, scandalizabitur in ea.

20 Qui timent Dominum, invenient iudicium justum, & iustitias quasi lumen accendent.

21 Peccator homo vitabit correptionem, & secundum voluntatem suam inveniet comparationem.

22 Vir consilii non disperdet intelligentiam, alienus & superbus non pertimescet timorem:

23 Etiam postquam fecit cum eo sine consilio, & suis infestationibus arguetur.

24 Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non penitebis.

25 In via ruinæ non eas, & non offendas in lapides: nec credas te viæ laboriosæ, ne ponas animæ tuæ scandalum:

26 Et a filiis tuis cave, & a domesticis tuis attende.

27 In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ: hoc est enim conservatio mandatorum.

28 Qui credit Deo, attendit mandatis: & qui confidit in illo, non minorabitur.

CAPUT XXXIII.

Laudantur timens Dominum & sapiens: inconstantia præcordiorum fatui: amicus subsannator: dies & tempora a Deo sunt, qui & reliqua omnia creavit ac disponit, in cujus manu est homo ut lutum in manu figuli: malum contra bonum: possessio non in vita, sed in morte

te distribuenda aliis: & quomodo servi sint tractandi.

1 Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, & liberabit a malis.

2 Sapiens non odit mandata & iustitias, & non illidetur quasi in procella navis.

3 Homo sensatus credit legi Dei, & lex illi fidelis.

4 Qui interrogationem manifestat, parabit verbum, & sic deprecatus exaudietur, & conservabit disciplinam, & tunc respondebit.

5 * Præcordia fatui quasi rota carri: & quasi axis versatilis cogitatus illius. * Supr. 21. 17.

6 Equus emissarius, sic & amicus subsannator, sub omni supradente hinnit.

7 Quare dies diem superat, & iterum lux lucem, & annus annum a sole?

8 A Domini scientia separati sunt, facto sole, & præceptum custodiente.

9 Et immutavit tempora, & dies festos ipsorum, & in illis dies festos celebraverunt ad horem.

10 Ex ipsis exaltavit & magnificavit Deus, & ex ipsis posuit in numerum dierum. Et omnes homines de solo, * & ex terra, unde creatus est Adam. * Rom. 2. 7.

11 In multitudine disciplinæ Dominus separavit eos, & immutavit vias eorum.

12 Ex ipsis benedixit, & exaltavit: & ex ipsis sanctificavit, & ad se applicavit: & ex ipsis maledixit, & humiliavit, & convertit illos a separationem ipsorum.

13 * Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmat illud & disponere. * Rom. 9. 21.

14 Omnes viæ ejus secundum dispositionem ejus: sic homo in manu illius qui se fecit, & reddet illi secundum iudicium suum.

15 Contra malum bonum est, & contra mortem vita: sic & contra virum justum peccator. Et sic intueri in omnia opera Altissimi. Duo & duo, & unum contra unum.

16 Et ego novissimus evigilavi, & quasi qui colligit acinos post vindemiatores. 17 In

17 In benedictione Dei & ipse speravi: & quasi qui vindemiati, replevi torcular.

18 * ^{Supra} Respicite quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus disciplinam.

19 Audite me magnates, & omnes populi, & rectores Ecclesiae auribus percipite.

20 Filio & mulieri, fratri & amico non des potestatem super te in vita tua: & non dederis alii possessionem tuam: ne forte poeniteat te, & depreceris pro illis.

21 Dum adhuc superes & aspiras, non immutabit te omnis caro.

22 Melius est enim, ut filii tui te rogent, quam te respicere in manus filiorum tuorum.

23 In omnibus operibus tuis praecellens esto.

24 Ne dederis maculam in gloria tua. In die consummationis dierum vitae tuae, & in tempore exitus tui distribue haereditatem tuam.

25 Cibaria, & virga, & ovis asino: panis, & disciplina, & opus servo.

26 Operatur in disciplina, & quaerit requiescere: laxa manus illi, & quaerit libertatem:

27 Jugum & lorum curvant collum durum, & servum inclinant operationes assidue.

28 Servo malevolo tortura & compedes, mitte illum in operationem, ne vacet:

29 Multam enim malitiam docuit otiositas.

30 In opera constitue eum: sic enim condecet illum. Quod si non obaudierit, curva illum compedibus, & non amplifies super omnem carnem: verum sine iudicio nihil facias grave.

31 * ^{Supra} Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta: quoniam in sanguine animae comparasti illum.

32 Si laeseris eum iniuste, in fugam convertetur.

33 Et si extollens discesserit: quem quaeras, & in qua via quaeras illum, nescis.

CAPUT XXXIV.

Vanitas somniorum, divinationum, augurii, mendaciorum; laus expertorum; beatitudo

tudo timentium Deum; oblationes iniquorum: fraudans pauperem; unus aedificans; & alter destruens; faciens poenitentiam, & non abstinens ab peccatis.

1 **V**ana spes, & mendacium viro insensato: & somnia extollunt imprudentes.

2 Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum: sic & qui attendit ad visa mendacia.

3 Hoc secundum hoc visio somniorum: ante faciem hominis similitudo hominis.

4 Ab immundo quid mundabitur? & a mendace quid verum dicetur?

5 Divinatio erroris, & auguria mendacia, & somnia malefacientium, vanitas est.

6 Et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur. Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum:

7 Multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.

8 Sine mendacio consummabitur verbum legis, & sapientia in ore fidelis complanabitur.

9 Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus, cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum.

10 Qui non est expertus, pauca recognoscit: qui autem in multis factus est, multiplicat malitiam.

11 Qui tentatus non est, qualia scit? qui implanatus est, abundabit nequitia.

12 Multa vidi errando, & plurimas verborum consuetudines.

13 Aliquoties usque ad mortem periclitatus sum horum causa, & liberatus sum gratia Dei.

14 Spiritus timentium Deum quaeritur, & in respectu illius benedicetur.

15 Spes enim illorum in salvantem illos, & oculi Dei in diligentes se.

16 Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit: quoniam ipse est spes ejus.

17 Timentis Dominum beata est anima ejus.

18 Ad quem respicit, & quis est fortitudo ejus?

19 * Oculi Domini super timentes eum, protectores

* Psal.
96. 10.

tektor potentia, firmamentum virtutis, tegimen
ardoris, & umbraculum meridiani,

20 Deprecatio offensiois, & adiutorium casus,
exaltans animam, & illuminans oculos, dans sa-
nitatem, & vitam, & benedictionem.

* Prov.
21. 27.

21 * Immolantis ex iniq̄uo oblatio est macula,
& non sunt beneplacitæ sublationes in-
justorum.

22 Dominus solus sustinentibus se in via veri-
tatis & iustitiæ.

* Prov.
15. 8.

23 Dona iniquorum non probat Altissimus, nec
respicit in oblationes iniquorum: nec in multitu-
dine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.

24 Qui offert sacrificium ex substantia paupe-
rum, quasi qui victimat filium in conspectu pa-
tris sui.

25 Panis egentium vita pauperum est: qui de-
fraudat illum, homo sanguinis est.

26 Qui auferit in sudore panem, quasi qui occi-
dit proximum suum.

* Deut.
24. 14.
Supr. 7. 22.

27 Qui effundit sanguinem, * & [qui fraudem
facit mercenario, fratres sunt.

28 Unus ædificans, & unus destruens: quid
prodest illis nisi labor?

29 Unus orans, & unus maledicens: ejus vo-
cem exaudiet Deus?

30 Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit
eum, quid proficit lavatio illius?

* 2. Petr.
2. 22.

31 * Sic homo qui jejunit in peccatis suis: & ite-
rum eadem faciens, quid proficit humiliando se?
orationem illius quis exaudiet?

CAPUT XXXV.

Verum & acceptum Deo sacrificium: non appa-
reas coram eo vacuus: primitiæ & oblationes hi-
lari animo tribuendæ; sacrificium injustum; pau-
perem læsum, pupillum & viduam lachrymantem
exaudiet Dominus: orationes justorum, & potissi-
mum se humilantium audit Deus, liberans ab affli-
gentibus, & cuique reddens juxta opera sua.

* 1. Reg.
15. 22.

1 Qui conservat legem, multiplicat oblatio-
nem.

2 Sacrificium salutare est attendere mandatis,
& discedere ab omni iniquitate.

3 Et

3 Et propitiationem litare sacrificii super in-
justitias, & deprecatio pro peccatis, recedere ab
injustitia.

4 Re tribuet gratiam, qui offert similaginem:
& qui facit misericordiam, offert sacrificium.

5 * Beneplacitum est Domino recedere ab ini-
quitate: & deprecatio pro peccatis recedere ab
injustitia.

6 * Non apparebis ante conspectum Domini
vacuus.

7 Hæc enim omnia propter mandatum Dei
fiunt.

8 Oblatio iusti impinguat altare, & odor suavi-
tatis est in conspectu Altissimi.

9 Sacrificium iusti acceptum est, & memoriam
ejus non obliviscetur Dominus.

10 Bono animo gloriam redde Deo: & non mi-
nuas primitias manuum tuarum.

11 * In omni dato hilarem fac vultum tuum, * 2. Cor.
& in exultatione sanctifica decimas tuas.

12 * Da altissimo secundaum datum ejus, & Tob.
in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum.

13 Quoniam Dominus retribuens est, & septies
tantum reddet tibi.

14 * Noli offerre munera prava: non enim fu-
scipiet illa.

15 Et noli inspicere sacrificium injustum, quo-
niam Dominus iudex est, & non est apud illum
gloria personæ.

16 Non accipiet Dominus personam in paupe-
rem, & deprecationem læsi exaudiet.

17 Non despiciet preces pupilli: nec viduam
si effundat loquelam gemitus.

18 Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam de-
scendunt, & exclamatio ejus super deducentem
eas?

19 A maxilla enim ascendunt usque ad cœ-
lum, & Dominus exauditor non delectabitur
in illis.

20 Qui adorat Deum in oblatione, susci-
pietur, & deprecatio illius usque ad nubes pro-
pinquabit.

21 Ora-

21 Oratio humiliantis se, nubes penetrabit: & donec propinquet, non consolabitur: & non discedet, donec Altissimus respiciat.

22 Et Dominus non elongabit, sed iudicabit justos, & faciet iudicium: & Fortissimus non habebit in illis patientiam, ut contribulet dorsum ipsorum:

23 Et Gentibus reddet vindictam, donec tollat plenitudinem superbiorum: & sceptrum iniquorum contribulet.

24 Donec reddat hominibus secundum actus suos, & secundum opera Adæ, & secundum præsumptionem illius,

25 Donec iudicet iudicium plebis suæ, & oblectabit justos misericordia sua.

26 Speciosa misericordia Dei, in tempore tribulationis, quasi nubes pluvie in tempore siccitatis.

CAPUT XXXVI.

Super Israel & civitatem Jerusalem invocat Dei misericordiam; super gentes vero alienas timorem ejusque manum, ut ipse potentia glorificetur, ipseque solus Deus agnoscat; cor insensatum & cor pravam; species mulieris faciem viri exhilarat; bonæ mulieris possessio.

1 **M**iserere nostri Deus omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum:

2 Et immitte timorem tuum super Gentes, quæ non exquisierunt te, ut cognoscant, quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnalia tua.

3 Alleva manum tuam super Gentes alienas, ut videant potentiam tuam.

4 Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis,

5 Ut cognoscant te, sicut & nos cognovimus, quoniam non est Deus præter te Domine.

6 Innova signa, & immuta mirabilia.

7 Glorifica manum, & brachium dextrum.

8 Excita furorem, & effunde iram.

9 Tolle adversarium, & afflige inimicum.

10 Fe-

10 Festina tempus, & memento finis, ut enarrent mirabilia tua.

11 In ira flammæ devoretur qui salvatur: & qui pessimant plebem tuam, inveniunt perditionem.

12 Contere caput principum inimicorum, dicens: Non est alius præter nos.

13 Congrega omnes tribus Jacob: ut cognoscant, quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnalia tua: & hæreditabis eos, sicut ab initio.

14 Miserere plebi tuæ, super quam invocatum est nomen tuum: & Israel * quem coæquasti primogenito tuo. * Eccl. 4. 22.

15 Miserere civitati sanctificationis tuæ Jerusalem, civitati requiei tuæ.

16 Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, & gloria tua populum tuum.

17 Da testimonium his, qui ab initio creaturæ tuæ sunt, & suscita prædicationes, quas locuti sunt in nomine tuo prophetæ priores.

18 Da mercedem sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniatur: & exaudi orationes fervorum tuorum.

19 * Secundum benedictionem Aaron de populo tuo, & dirige nos in viam justitiæ, & sciant omnes qui habitant terram, quia tu es Deus conspexitor sæculorum. * Num. 6. 24.

20 Omnem escam manducabit venter, & est cibus cibo melior.

21 Fauces contingunt cibum feræ, & cor sensatum verba mendacia.

22 Cor pravam dabit tristitiam, & homo peritus resistet illi.

23 Omnem masculum excipiet mulier: & est filia melior filia.

24 Species mulieris exhilarat faciem viri sui, & super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium.

25 Si est lingua curationis, est & mitigationis & misericordiæ: non est vir illius secundum filios hominum.

26 Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem: adiutorium secundum illum est, & columna ut requies.

Tom. III.

K k

27 Ubi

27 Ubi non est sepes, diripietur possessio: & ubi non est mulier, ingemiscit egens.

28 Quis credit ei, qui non habet nidum, & deflens ubicumque obscuraverit, quasi succinctus latro exiliens de civitate in civitatem?

C A P U T XXXVII.

Detestatio fecti amici: veri amici ne obliviscaris: discretio in captandis consiliis, & cum quibus consulas, & quibus te & consilium tuum occultes: laus sententia viri sancti: verbum nequam: quatuor ex corde oriuntur: laus viri periti & sapientis: qui sophisticè loquitur, odibilis est: tenta animam tuam: & si sit nequam, non des illi potestatem: perniciis erapula.

1 **O**mnis amicus dicet: Et ego amicitiam copulavi. Sed est amicus solo nomine amicus.

Nonne tristitia inest usque ad mortem?

2 Sodalis autem & amicus ad inimicitiam convertentur.

3 O præsumptio nequissima, unde creata es cooperire aridam malitia, & dolositate illius?

4 Sodalis amico conjucundatur in oblectationibus, & in tempore tribulationis adversarius erit.

5 Sodalis amico condolet causa ventris, & contra hostem accipiet scutum.

6 Non obliviscaris amici tui in animo tuo, & non immemor sis illius in opibus tuis.

7 Noli consiliari cum eo, qui tibi infidiatur, & a zelantibus te absconde consilium.

8 Omnis consiliarius prodit consilium, sed est consiliarius in semetipso.

9 A consiliario serva animam tuam. Prius scito quæ sit illius necessitas: & ipse enim animo suo cogitabit:

10 Ne forte mittat fudem in terram, & dicat tibi:

11 Bona est vita tua; & stet e contrario videre quid tibi eveniat.

12 Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum injusto de justitia, & cum muliere de ea, quæ æmulatur: cum timido de bello: cum nego-

tia-

tiatore de traiectione, cum emptore de venditione, cum viro livido de gratiis agendis,

13 Cum impio de pietate, cum inhonesto de honestate, cum operario agrario de omni opere,

14 Cum operario annuali de consummatione anni, cum servo pigro de multa operatione: non attendas his in omni consilio.

15 Sed cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei,

16 Cujus anima est secundum animam tuam: & qui cum titubaveris in tenebris, condolebit tibi.

17 Cor boni consilii statue tecum: non est enim tibi aliud pluris illo.

18 Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.

19 Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam.

20 Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.

21 Verbum nequam immutabit cor: ex quo partes quatuor oriuntur, bonum & malum, vita & mors: & dominatrix illorum est assidua lingua. Est vir astutus multorum eruditor, & animæ suæ inutilis est.

22 Vir peritus multos erudit, & animæ suæ suavis est.

23 Qui sophisticè loquitur, odibilis est: in omni re defraudabitur.

24 Non est illi data a Domino gratia: omni enim sapientia defraudatus est.

25 Est sapiens animæ suæ sapiens: & fructus sensus illius laudabilis.

26 Vir sapiens plebem suam erudit, & fructus sensus illius fideles sunt.

27 Vir sapiens implebitur benedictionibus, & videntes illum laudabunt.

28 Vita viri in numero dierum: dies autem Israël innumerabiles sunt.

29 Sapiens in populo hæreditabit honorem, & nomen illius erit vivens in æternum.

30 Fili, in vita tua tenta animam tuam: & si fuerit nequam, non des illi potestatem:

31 Non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet.

32 Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam:

33 In multis enim escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram,

34 Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinentes est, adjiciet vitam.

CAPUT XXXVIII.

Honora medicum: a Deo data est homini medicina: quomodo ægrotus se habebit erga Deum & medicum: mortuus plorandus, temperandum autem a tristitia quæ mortuo non prodest & tibi obest: sed memineris te etiam moriturum: quisque artifex considerat eam quibus operatur: & hi necessarij quidem sunt in communitate, sed in ea non præminent dignitate vel sapientia.

1 **H**onora medicum propter necessitatem: etenim illum creavit Altissimus.

2 A Deo est enim omnis medela, & a rege accipiet donationem.

3 Disciplina medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnatorum collaudabitur.

4 Altissimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa.

5 * Nonne a ligno indulcata est aqua amara?

6 Ad agnitionem hominum virtus illorum, & dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis.

7 In his curans mitigabit dolorem, & unguentarius faciet pigmenta suavitatis, & unctiones conficiet sanitatis, & non consummabuntur opera ejus.

8 Pax enim Dei super faciem terræ.

9 * Fili in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te.

10 Averte a delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.

11 Da suavitatem & memoriam simlaginis, & impingua oblationem, & da locum medico:

12 Etenim illum Dominus creavit: & non discedat a te, quia opera ejus sunt necessaria.

13 Est

13 Est enim tempus quando in manus illorum incurras:

14 Ipsi vero Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum, & sanitatem, propter conversationem illorum.

15 Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus medici.

16 Fili, in mortuum produculacrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundum judicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius:

17 Propter delaturam autem amare fer luctum illius uno die, & consolare propter tristitiam.

18 Et fac luctum secundum meritum ejus uno die, vel duobus propter detractionem.

19 * A tristitia enim festinat mors, & cooperit virtutem, & tristitia cordis flectit cervicem. ^{* Prov. 15. 13. 17. 22.}

20 In abductione permanet tristitia: & substantia inopis secundum cor ejus.

21 Ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam a te: & memento novissimorum,

22 Noli oblivisci: neque enim est conversio, & huic nihil proderis, & te ipsi in pessimabis.

23 Memor esto judicii mei: sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.

24 * In requie mortui requiescere fac memoriam ejus, & consolare illum in exitu spiritus sui. ^{* 2 Reg. 12. 21.}

25 Sapientia scribæ in tempore vacuitatis: & qui minoratur actu, sapientiam percipiet: qua sapientia replebitur.

26 Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in jaculo, stimulo boves agitatur, & conversatur in operibus eorum, & enarratio ejus in filiis taurorum.

27 Cor suum dabit ad versandos sulcos, & vigilia ejus in sagina vaccarum.

28 Sic omnis faber & architectus, qui noctem tanquam diem transigit, qui sculpsit signacula sculptilia, & assiduitas ejus variat picturam: cor suum dabit in similitudinem picturæ, & vigilia sua perficiet opus.

29 Sic faber ferrarius sedens juxta incudem, &

K k 3

con-

* Exod. 15. 25.

* Isa. 38. 2.

considerans opus ferri: Vapor ignis uret carnes ejus, & in calore fornacis concertatur:

30 Vox mallei innovat aurem ejus, & contra similitudinem vasis oculus ejus.

31 Cor suum dabit in consummationem operum, & vigilia sua ornabit in perfectionem.

32 Sic figulus sedens ad opus suum, convertens pedibus suis rotam, qui in sollicitudine positus est semper propter opus suum, & in numero est omnis operatio ejus.

33 In brachio suo formabit lutum, & ante pedes suos curvabit virtutem suam.

34 Cor suum dabit ut consummet linitionem, & vigilia sua mundabit fornacem.

35 Omnes hi in manibus suis speraverunt, & unusquisque in arte sua sapiens est.

36 Sine his omnibus non ædificatur civitas.

37 Et non inhabitabunt, nec inambulabunt, & in ecclesiam non transibunt.

38 Super sellam judicis non sedebunt, & testamentum judicii non intelligent, neque palam facient disciplinam & judicium, & in parabolis non inveniuntur:

39 Sed creaturam ævi confirmabunt, & deprecatio illorum in operatione artis, accommodantes animam suam, & conquirentes in lege Altissimi.

CAPUT XXXIX.

Studium sapientis, ipsiusque præclara opera & nominis perpetuitas: Deus benedicendus in operibus suis, cui nihil occultum est: benedictio Dei in bonis & ira in malis: bonis omnia in bonum cedunt, malis in malum, ad quos puniendos & cætera sunt creata.

1 Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in prophetis vacabit.

2 Narrationem virorum nominatorum conservabit, & in versutias parabolarum simul introibit.

3 Occulta proverbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conversabitur.

4 In medio magnatorum ministrabit, & in conspectu præsidis apparebit.

5 In

5 In terram alienigenarum gentium pertransiet: bona enim & mala in hominibus tentabit.

6 Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur.

7 Aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur.

8 Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum:

9 Et ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur Domino:

10 Et ipse dirigit consilium ejus, & disciplinam, & in absconditis suis consiliabitur.

11 Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, & in lege testamenti Domini gloriabitur.

12 Collaudabunt multi sapientiam ejus, & usque in seculum non delebitur.

13 Non recedet memoria ejus, & nomen ejus requiretur a generatione in generationem.

14 Sapientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem ejus enuntiabit ecclesia.

15 Si peremerit, nomen derelinquet plus quam mille: & si requieverit, proderit illi.

16 Adhuc consiliabor, ut enarrem: ut furore enim repletus sum.

17 In voce dicit: Obaudite me divini fructus, & quasi rosa plantata super rivus aquarum fructificat.

18 Quasi Libanus odorem suavitatis habet.

19 Florete flores, quasi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus suis.

20 Date nomini ejus magnificentiam, & confitemini illi in voce laborum vestrorum, & in canticis laborum, & citharis, & sic dicetis in confessione:

21 * Opera Domini universa bona valde.

22 * In verbo ejus stetit aqua sicut congeries: & in sermone oris illius sicut exceptoria aquarum:

23 Quoniam in præcepto ipsius placor fit, & non est minoratio in salute ipsius.

K k 4

24 Ope-

* Gen.
1. 31.
Marg.
7. 37.
Gen.
8. 2.

24 Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis ejus.

25 A sæculo usque in sæculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu ejus.

26 Non est dicere: Quid est hoc, aut quid est istud? omnia enim in tempore suo quærentur.

27 Benedictio illius quasi fluvius inundavit.

28 * Quomodo cataclysmus aridam inebriavit, sic ira ipsius gentes, quæ non exquisierunt eum, hæreditabit.

29 * Quomodo convertit aquas in siccitatem, & siccata est terra; & viæ illius viis illorum directæ sunt: sic peccatoribus offensiones in ira ejus.

30 Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimi bona & mala.

31 * Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, & ferrum, sal, lac, & panis simillagineus, & mel, & botrus uvæ, & oleum, & vestimentum.

32 Hæc omnia sanctis in bona, sic & impiis & peccatoribus in mala convertentur.

33 Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmaverunt tormenta sua.

34 In tempore consummationis effundent virtutem, & furorem ejus, qui fecit illos, placabunt.

35 Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt:

36 Bestiarum dentes, & scorpia, & serpentes, & rhomphæa vindicans in exterminium impios.

37 In mandatis ejus epulabuntur, & super terram in necessitatem præparabuntur, & in temporibus suis non præterient verbum.

38 Propterea ab initio confirmatus sum, & consiliatus sum, & cogitavi, & scripta dimisi.

39 * Omnia opera Domini bona, & omne opus hora sua subministrabit.

40 Non est dicere: Hoc illo nequius est: omnia enim in tempore suo comprobabuntur.

41 Et nunc in omni corde & ore collaudate, & benedicite nomen Domini.

CAPUT XL.

Occupationi magnæ, jugo gravi, ac variis miseris homo obnoxius; omnia caduca; iniqui cum suis divitiis cito delendi; laus vitæ sibi sufficientis; varios binarios commendat, quibus tamen alia anteponit; laus timoris Domini; fac ne indigeas, nec in alienam mensam respicias, a quo vir disciplinatus & eruditus se servat.

1 Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium.

2 Cogitationes eorum, & timores cordis adinventio expectationis, & dies finitionis:

3 A residente super sedem gloriosam, usque ad humiliatam in terra & cinere:

4 Ab eo, qui utitur hyacintho, & portat coronam, usque ad eum, qui operitur lino crudo: furor, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perseverans, & contentio.

5 Et in tempore refectionis in cubili somnus noctis immutat scientiam ejus.

6 Modicum tanquam nihil in requie, & ab eo in somnis, quasi in die respectus.

7 Conturbatus est in visu cordis sui, tanquam qui evaserit in die belli. In tempore salutis suæ exurrexit, & admirans ad nullum timorem:

8 Cum omni carne, ab homine usque ad pecus, & super peccatores septuplum.

9 * Ad hæc mors, sanguis, contentio, & rhomphæa, oppressiones, fames, & contritio, & flagella: Supra. 39. 35. 36

10 Super iniquos creata sunt hæc omnia, & propter illos factus est cataclysmus. * Gen. 7. 10.

11 * Omnia, quæ de terra sunt, in terram convertentur, & omnes aquæ in mare revertentur. * Infra. 41. 13. * Eccles. 1. 7.

12 Omne munus, & iniquitas delebitur, & fides in sæculum stabit.

13 Substantiæ injustorum sicut fluvius siccabuntur, & sicut tonitruum magnum in pluvia personabunt.

14. In aperiendo manus suas lætabitur: sic prævaricatores in consummatione tabescent.

15. Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos, & radices immundæ super cacumen petrae fonant.

16. Super omnem aquam viriditas, & ad oram fluminis ante omne fœnum evelletur.

17. Gratia sicut paradus in benedictionibus, & misericordia in sæculum permanet.

18. Vita sibi sufficientis operarii condulcabitur, & in ea invenies thesaurum.

19. Filii, & ædificatio civitatis confirmabit nomen, & super hæc mulier immaculata computabitur.

20. Vinum & musca lætificant cor: & super utraque dilectio sapientie.

21. Tibiæ, & psalterium suavem faciunt melodiam, & super utraque lingua suavis.

22. Gratiam, & speciem desiderabit oculus tuus, & super hæc virides sationes.

23. Amicus, & sodalis in tempore convenientes, & super utroque mulier cum viro.

24. Fratres in adiutorium in tempore tribulationis, & super eos misericordia liberabit.

25. Aurum & argentum est constitutio pedum: & super utrumque consilium beneplacitum.

26. Facultates & virtutes exaltant cor, & super hæc timor Domini.

27. Non est in timore Domini minoratio, & non est in eo inquirere adiutorium.

28. Timor Domini sicut paradus benedictionis, & super omnem gloriam operuerunt illum.

29. Filii in tempore vitæ tuæ ne indigeas: melius est enim mori, quam indigere.

30. Vir respiciens in mensam alienam, non est vita ejus in cogitatione victus. Alit enim animam suam cibis alienis.

31. Vir autem disciplinatus, & eruditus custodit se.

32. In ore imprudentis condulcabitur inopia, & in ventre ejus ignis ardebit.

C.A.

CAPUT XLI.

Memoria mortis cui est amara, & cui non; mortem non metuas sed præteritorum & futurorum memento, contentus divina dispositione circa te; maledictio manens impios; cura boni nominis; sapientia & thesaurus absconditi inutiles; qualiter sit de peccatis erubescendum; ne faciem avertas a proximo, nec respicias mulierem alterius, neque improperes post datum.

1. O Mors quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis:

2. Viro quieto, & cujus vitæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum!

3. O mors, bonum est iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus,

4. Defecto ætate, & cui de omnibus cura est, & incredibili, qui perdit patientiam?

5. Noli metuere iudicium mortis. Memento quæ ante te fuerunt, & quæ superventura sunt tibi, hoc iudicium a Domino omni carni:

6. Et quid superveniet tibi in beneplacito Altissimi? sive decem, sive centum, sive mille anni.

7. Non est enim in inferno accusatio vitæ.

8. Filii abominationum fiunt filii peccatorum, & qui conversantur secus domos impiorum.

9. Filiorum peccatorum periet hæreditas, & cum semine illorum assiduitas opprobrii.

10. De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio.

11. Væ vobis viri impii, qui dereliquistis legem Domini Altissimi.

12. Et si nati fueritis, in maledictione nascemini: & si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra.

13. * Omnia, quæ de terra sunt, in terram convertentur: sic impii a maledicto in perditionem. * Sicut in ap. II.

14. Luctus hominum in corpore ipsorum, nomen autem impiorum delebitur.

15. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni.

16. Bo.